

Dissertatio medica inauguralis, de morbis Islandiae : quam ... ex auctoritate ... Georgii Baird ... Academiae Edinburgenae Praefecti; necnon amplissimi Senatus Academici consensu ... pro gradu doctoris ... / eruditorum examini subjicit Henricus Holland.

Contributors

Holland, Henry, Sir, 1788-1873.
University of Glasgow. Library

Publication/Creation

Edinburgh : Excudebat Robertus Allan, 1811.

Persistent URL

<https://wellcomecollection.org/works/wzqn7n7a>

Provider

University of Glasgow

License and attribution

This material has been provided by This material has been provided by The University of Glasgow Library. The original may be consulted at The University of Glasgow Library. where the originals may be consulted. This work has been identified as being free of known restrictions under copyright law, including all related and neighbouring rights and is being made available under the Creative Commons, Public Domain Mark.

You can copy, modify, distribute and perform the work, even for commercial purposes, without asking permission.

**wellcome
collection**

Wellcome Collection
183 Euston Road
London NW1 2BE UK
T +44 (0)20 7611 8722
E library@wellcomecollection.org
<https://wellcomecollection.org>

To 1

Francis Jeffrey Esqr
with the Author's Comments

107/1-

8

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
MORBIS ISLANDIÆ.

THE UNIVERSITY OF CHICAGO

LIBRARY

1911

1911

1911

1911

1911

1911

NECNON

THOMÆ KLOG,

LANDPHYSICO ISLANDIÆ,

INGENIOSE ET PERITE

IN PATRIA MEDICINAM FACIENTI,

HOC TENTAMEN INAUGURALE,

DE MORBIS ISLANDIÆ,

AMICITIÆ PIGNUS,

OFFERT ET DEDICAT

AUCTOR.

1788

THOMAS KNOX

PHYSICIAN

IN GREAT BRITAIN

AND IN THE WEST INDIES

AND IN THE EAST INDIES

DE MORBIS ISLANDIARUM

AMERICANA

ACTOR

DISSERTATIO MEDICA
INAUGURALIS,
DE
MORBIS ISLANDIÆ;

QUAM,
ANNUENTE SUMMO NUMINE,
EX AUCTORITATE REVERENDI ADMODUM VIRI,
D. GEORGII BAIRD, SS. T. P.

ACADEMIÆ EDINBURGENÆ PRÆFECTI;

NECNON

AMPLISSIMI SENATUS ACADEMICI CONSENSU;
ET NOBILISSIMÆ FACULTATIS MEDICÆ DECRETO;

PRO GRADU DOCTORIS,

SUMMISQUE IN MEDICINA HONORIBUS AC PRIVILEGIIS

RITE ET LEGITIME CONSEQUENDIS;

ERUDITORUM EXAMINI SUBJICIT

HENRICUS HOLLAND,

ANGLUS.

SOCIETATIS REGIÆ MEDICÆ EDINENSIS

PRÆSES ANNUUS.

Triste solum, sterilis, sine fruge, sine arbore, tellus.

OVID. Met. Lib. 8.

Ad diem 12mum Septembris, hora locoque solitis.

EDINBURGI:

EXCUDEBAT ROBERTUS ALLAN.

1811.

DISSEMINATIO MEDICAE

TRIPOLITANA

DE

MORBUS TYPICUS

GIORGIO TYPICUS

ANALYSIS

PER

D. GEORGIUM TYPICUM

ANALYSIS

PER

ANALYSIS

ET

ANALYSIS

ANALYSIS

ANALYSIS

Sp. Coll.
1736

65/4520

GLASGOW
UNIVERSITY
LIBRARY

VIRO REVERENDO ET DOCTISSIMO,

GEIRO VIDALINO,

EPISCOPO ISLANDIÆ,

QUI ERUDITIONE PARITER AC VIRTUTIBUS

FATRIAM ORNAVIT,

HANC DISSERTATIONEM,

ANIMI GRATISSIMI TESTIMONIUM,

PROPTER INNUMERA IN SE

COLLATA BENEFICIA,

SACRAM VULT

AUCTOR.

1790 REVISED BY DOCTORS

GENIO FEDERALI

PHILOSOPHO

QUI PRIMUM TABULAS DE VERTUTIBUS

EXAMINAVIT

HANC DISSERTATIONEM

IN AMPLISSIMO TESTIMONIO

DE AMPLISSIMO

EXAMINE

COLATA

DE

AUCTOR

DISSERTATIO MEDICA

INAUGURALIS,

DE

MORBIS ISLANDIÆ.

MIHI institutis academicis obtemperaturo, et de argumento quod potissimùm deligerem dubitanti, occasio Islandiam visendi, nuper feliciter oblata, hocce propositum præ cæteris multùm commendavit. Tempore anni 1810 æstivo, unà cum sociis duobus conjunctissimis, iter ad Islandiam feci, quâ in insulâ tres quatuorve menses utilissimè et jucundissimè degimus. Quamvis mirabilia terræ, resque

historiæ naturalis, explorare, hujus itineris præcipuum consilium fuit, non tamen incolarum statûs et conditionis observationem prætermittendam putavimus; et ipse de morbis Islandicis, et medicinæ culturâ hâcce in regione remotâ, aliquid inquirere impensè occasionem amplexus sum. Illâ opinione provectus, ut nihil existimem medicinæ scientiæ alienum, quod corporis humani et morborum diversis locis, et cœli regionibus, historiam illustret, pauca de morbis Islandiæ, et de medicinæ statu inter Islandos, hic breviter proferre tentabo.

Islandia, in Oceano Boreali, juxta circulum Arcticum sita, gravi cœli intemperie continuo ferè oppressa est: tametsi frigus fortasse non æquè est intensum ac in littoribus Grœnlandiæ e regione positis, vel in parte Americæ continentis sub eodem latitudinis gradu jacente. Brumali tempore, cum terra jam nivibus vestita est, aer plerumque serenus fit; et gelu usque ad medium mensis Aprilis, vel sæpe diutiùs, permanet. Ver valde breve est, vel potius (ut in aliis regionibus arcticis) omninò deest. Æstivus calor varius; et sæpe ex alto thermometri gradu (e. g. 60° vel 65°, tempore meridiano, instrumento adumbrato); etiam ad gradum congelationis brevi tempore descendit. Autumnus plerumque humidus est; et nives brumales sub finem mensis Octobris ferè semper recurrunt. Per totum annum aer sæpe nebulosus vel pluviosus existit.

Islandorum habitationes cespite et terrâ, cum trabibus ligneis, plerumque exstructæ sunt; quæ ædificandi ratio, dum frigus excludit, et defectum fomitis minus molestum reddit, æquè quidem lucis aerisque puri accessionem prævenit. Quod ad vivendi rationem attinet, paupertas terræ multa mala et magna incolis adfert; efficitque ut externis vitæ consuetudinibus rudes persæpe et miserrimi essent. Pravâ quidem dietâ omnes populi ordines necessariò uti coguntur; multaque in historiâ Islandiæ traduntur exempla, ubi fames horrénda insulam invasit, ex quâ magnus incolarum numerus raptim et miserè intercidere. Cibus communis populi ex pisce et lacte potissimùm constat; adjectâ carnis bovillæ et ovinæ quantitate valdè exiguâ. Piscibus marinis recenter captis oras habitantes ferè per totum annum utuntur; cum illi remotiores famulos semel quotannis piscatum ablegant; et pisces tunc captos, sub dio arefactos, in usum temporis hiberni repo-

nunt. Hi tamen plerumque majore lactis abundantia fruuntur; ex quo butyrum, caseum, et serum variis modis præparant. Etsi manifesta indicia agriculturam priscis Islandis non ignotam fuisse testantur, hodiè tamen (fortasse ex frigore aucto, quam rem multa probant argumenta) terræ cultura ferè omninò neglecta est. Itaque, etiam inter incolas summos, maxima est panis inopia; et inter alios, præsertim hoc tempore belli, hoc alimentum prorsùs deficit. Pauca quædam vegetabilia hortensia certis locis aliqui excolere tentant; sed ex soli et cæli severitate hæc rarò maturitatem adipiscuntur. Plantarum indigenarum perpauca sunt esculenta; et Lichen Islandicus (quo abundante, panis minus requireretur) raris quidem locis et parvâ quantitate nunc reperiendus est.

Hunc Islandorum statum naturalem mentis conditionem secum afferre æquè rudem ac miseram, fortasse opinatum fuerit. Longè

autem aliter res se habet. Indigenorum mores mites et humani sunt: religionis et literarum institutiones super hoc solum infructuosum florent, et fructus maturant: et infra hanc cœli inclementiam terra per multa secula homines genuit, qui poeseos pariter ac eruditionis et literarum laude inclaruerunt. Naturâ terræ et cœli, non ratione vel mentis culturâ, Islandi sunt barbari.

Quod ad corporis figuram et qualitates spectat, Islandi plerumque sunt proceri; quæ proceritas ex spinâ longâ potiùs quàm membrorum extensione oritur: pinguedine per rarò opprimuntur: caput mediæ magnitudinis exstat: coma ferè semper albida, recta, et promissa est: vultus ingenuus: color, præcipue vultûs, plerumque pulcherrimus. Totâ corporis constitutione, Islandi, etsi sub eodem latitudinis gradu habitantes, Lapponicis maximè distant.

Islandiæ insula, licet in superficie terræ Hiberniæ superior, vix 50,000 incolarum hoc tempore continet. Populus non quidem per totam regionem (interior enim insulæ pars adhuc incognita restat), sed per oras omnes ita sparsus est, ut nullus sit locus, ubi multi homines societate congregati sunt. Incolis ita dispersis, summâque paupertate oppressis, medicos, sine auxilio externo, in Islandiâ habitare ferè impossibile fit; et ob hanc causam, pauci qui inter Islandos officii medicinæ funguntur, ab ærario publico stipendia quædam quotannis accipiunt. Hoc publicum medicinæ institutum ex uno medico, qui aliis præest, *Landphysicus* dicto; ex pharmacopœo, quinque medicis vel chirurgis inferioribus, et paucis Obstetricibus, hoc tempore constat. Juxta Reikiavikam, oppidum insulæ unicum, Landphysicus et Pharmacopœus ex officio habitant. Horum prior, præter privata beneficia, 600 circiter imperiales per annum ex Rege accipit. Hu-

jus est officium, non solum in parte insulæ Reikiavikæ adjacente ægrotos visitare, sed etiam medicinæ praxeos in aliis Islandiæ provinciis statum recognoscere et moderari. Islandus natu, academiâ autem Havniensi medicinæ scientiâ per plures annos institutus, munere Landphysici hoc tempore fungitur; vir revera intelligens, fervidusque medicinæ studiis.

Pharmacopolium Commune pharmacis, ex Daniâ allatis, suppeditatum est; quæ ad omnes insulæ partes, prout occasio sit, ex hoc loco transportantur. Hæc pharmaca plerumque vetustate depravata mihi videbantur; sed aliorum importationi bellum nuper prævenit.

Chirurgi Rurales, qui annuam parvam mercedem accipiunt, diversis oræ maritimæ locis habitant: propter autem spatium justo amplius cuivis assignatum, officiis constitutis

imperfectè necessariò funguntur. Mihi fuit occasio duos horum videndi; viros quidem jucundissimos, et medicinâ luculenter instructos. Unus duorum, nomine Paulson, infra montem ignivomentem, Kattlegaia Jokul nominatum, nunc habitat; et studiis historiæ naturalis Islandorum peritissimus esse fertur. Diversos libros, vel seipso compositos, vel in linguam Islandicam ex Danica tractos, in lucem emisit. Ejus præcipuum quod mihi innotuit scriptum, est Descriptio Morborum Islandiæ, linguâ vernacula composita. Multi alii libri, hac linguâ editi, ad medicinam pertinent; sed plerumque scriptorum Danicorum vel Germanicorum versiones esse videntur.

Nosocomia sunt quatuor in Islandiâ; parva quidem ædificia, ubi pauci leprosi insanabiles cibum et habitationem accipiunt. Horum nosocomiorum præcipui reditus consistunt in parte una, (unius scilicet piscato-

ris) capturæ cujusvis scaphæ piscatoriæ, circa totam insulam, certo die in optimo et maximè frequentato piscandi tempore; nisi quidem quisque nauta ad sortem suam quinque pisces numerare nequit. In hoc casu, nosocomii sors, proximo illo die, quo numerus iste obtineatur, solvenda est.*

Licet mihi propositum fuit de morbis Islandicis tractare, non tamen in animo est omnia ad hanc rem pertinentia sigillatim describere; sed ea solummodò, quæ vel insolita sint, vel cœli et rationis vivendi effectus, maximè illustrent.

Diæta Islandorum jam descripta, et immundities, eorum vitæ conditioni fortasse necessaria, morbos cutaneos, ex habitu corporis cachectico pendentis, inter incolas valde

* De Nosocomiorum Islandiæ institutione, vide *Hist. Eccles. Islandiæ*. (*Havniæ* 1772, T. III. p. 99.)

frequentes reddunt. Ex ordine Impetiginum, Scorbutus, et Lepra vel Elephantiasis, persæpe observantur; præsertim in istis insulæ partibus, ubi pascua minus lata et fœcunda sunt, et ferè ex piscatura sola incolæ victum quærere coguntur.

Scorbutus, quem Islandi *Kreppusott* dicunt, sese plerumque iisdem declarat signis, quæ a scriptoribus de hoc morbo celeberrimis descripta sunt. Experientia multa docuit morbum præsertim occurrere, cum infaustis annis alimentorum, præcipue lactis, inopia oritur, atque humiditates æstivas et autumnales frigora simul hyemalia excipiunt. Adhujus sanationem diætâ vegetabili, quantum res permittunt, ægroti utuntur: tempore autem hyemali, deficientibus herbis horæis, morbus ægerrimè curatur. Fructus omnibus temporibus desunt; sed ope Decoctorum Cochleariæ (*Cochlearia Officinalis et Danica*) Trefolii (*Trifolium Repens*) Juniperi (*Juniperus Communis*)

summitatum et baccarum, et Sedi acris, morbi symptomata, ut videtur, sæpe sublevantur, vel aliquando omninò amoveantur.

Lepra Islandorum (quæ Islandicè *Holdsvæike*, *Spitelska*, et *Likthra* nuncupatur,) plerumque veræ Lepræ Arabum, vel frequentissimè Elephantiasis, omnia exhibet signa. Morbus cum Scorbuto, suo nomine Scorbuti Islandici, dudum confundebatur; sed nonnulla signa diagnostica sunt, quæ morbos diversos esse planè demonstrant. Multæ, ut scio, de his Impetiginum generibus exstiterunt controversiæ; scilicet de quæstione, an sit Elephantiasis vera Scorbuti species, ut celeberrimus Boerhavius affirmavit? de affinitate inter varias Lepræ formas, diversis seculis et temporibus occurrentes; de nominibus quæ his variis formis tribui debent; de naturâ Elephantiasis, an sit contagiosa? &c.* Nil dubito quin,

* Vide Schillingii de Lepra Commentationes, et Dissertationem J. D. Hahn huic libro præfixam: Ouseelii Dis-

signis hujus morbi Islandici præmissis, ad illud genus, quod Cullenus noster *Elephantiasis*, Sauvagesius *Elephantiasis legitima* nominat, facilè hæc morbi varietas referri possit.

Signa Elephantiasis, ut in Islandiâ apparet, ferè sunt initio, in facie tumores indolentes, (fortasse ex glandulis subcutaneis obstructis) paulatim adaugentes; et ex rubro ad colorem sublividum gradatim vergentes. Deinde nares, aures, et labia, æque ac universa facies, turgescunt et deformitate afficiuntur: tumores etiam per totum corpus nascuntur: cutis crassa, indurata, et rugosa fit, sæpe tamen superficiem unctuosam vel quasi politam ostendens; spiritus fœtidus est, cum excretionem per cutem humoris acris et fœtidi: pili, si non in capite, saltem per reliquum corpus, plerumque præmoriuntur et decidunt: ungues etiam de-

sertationem de Lepra Cutis Hebræorum: Literas ex Chevalier Bach ad DD. Van Troil de Scorbuto Islandico; &c.

formantur et sæpe abeunt: et anæsthesia majore minoreve gradu frequenter artibus advenit. Raucedo supervenit, interdum cum tumore tonsillarum, attamen sine notabili deglutiendi difficultate, usque ad maximum gradum morbi. Sæpe per idem tempus crura et pedes valdè tument, vel cum œdemate, vel cum induratione partium: cutis crassata rugas et fissuras exhibet, et tubercula in ulcera fœtida et maligna sæpenumerò abeunt. Hoc in statu, æger aliquando per multos annos vitam trahit. In aliis exemplis morbus ad fatale eventum citius tendit: omnia symptomata aggravantur, et debilitate extrema affectus miser animam efflat.*

Aliquando cutis humida, furfuracea, in hoc

* Elephantiasim Madeirâ occurrentem benè Dr T. Heberden descripsit. Vide London Medical Transactions, vol. I. Hujus speciei signa illis Lepræ vel Elephantiasis Islandicæ maximè similia sunt.

morbo reperitur; quæ varietas Lepræ Culeni proximè accedit.

Elephantiasi affecti bono appetitu cibi sæpe gaudent, interdum etiam voraci. Alvus plerumque adstricta manet; et apud fœminas menses semper retinentur. Morbus contagiosus esse dicitur; sed de hac re solummodo ex aliorum opinione vel experientia loqui possum. Duo tantum morbi exempla ipse in Islandia vidi.

Hujus Lepræ sanatio reverà difficilis, vel, symptomatis confirmatis, potiùs omnino impossibilis est. Prophylactica tamen, et primis morbi gradibus sublevantia, aliquando, ut fertur, felici fructu experta Diaphoretica et Cathartica, interdum cum venesectione et fontanellarum applicatione; qui methodus mendi ex teoriâ humoris morbifici cujusdam sine dubio ortus est. Indigenæ plantæ, quibus ad curationem utuntur Islandi, sunt cacumi-

na Juniperi, Decoctum foliorum Dryadis Octopetalæ (insulâ magis quam copiose crescentis;) Decoctum Rhodiolæ, (*Rhodiola Rosea*,) &c. Hæc remedia, ut verisimile est, ad urgentia morbi symptomata sublevanda minimè valent. Cum res permittit, regimen dætetivum etiã adhibetur; in quo alimenta ex pisce vel carne confecta quam minime ægro conceduntur.

De tempore, quo Lepra primum Islandiæ invehebatur, nil certi invenio. Una quæ mihi innotuit opinio, morbum ex Asia vel meridionalibus Europæ partibus, tempore expeditionum cruciatarum, insulæ allatum esse, refert; quibus expeditionibus, ut nonnulli scriptores dicunt, etiã Islandi participes fuere. Hoc autem non ita se habuisse, planè apparet ex Historia Ecclesiastica Islandiæ doctissimi Finni Johannæi, Skalholtinæ dioceseos Episcopi: nam etsi expeditiones cruciatæ in insulâ subinde prædicatæ fuerunt, nemo quidem in-

colarum unquam in hoc bello militatum profectus est. Illo tamen seculo, inter Islandos et alias Europæ nationes septentrionales multum commercium exstitit, et lepram tunc temporis introductam fuisse, opinio fortasse non vero absimilis videtur. Insulæ jam adlata, ex victu et modo vivendi incolarum facilè retineri posset; cum inter alios populos, conditionis mutatio, et vivendi ratio omni modo excultior, sensim morbum abolevere vel rarissimum reddidere.

Psora inter Islandos fere universalis est. Summi inter populos hoc morbo laborantes, nullo dedecore afficiuntur; neque ullis utuntur remediis, etsi id efficacissimum, sulphur, in variis insulæ partibus abundat.

Luem veneream Islandiâ existere vix dici potest. Haud est negandum exempla singularia ex communicatione advenarum aliquando inter incolas occurrere; sed morbus adhuc

semper interceptus fuit, antequam per regionem late progressus est.

Quantas in Islandia clades variolæ contagio effecit, satis ex annalibus insulæ constat. Hic morbus terræ diversis et remotis temporibus adlatus, regionem celeriter pervagatus est, immensamque stragem et perniciem ubicunque fecit. Exempla horrenda hujus rei seculum proxime elapsum nimis multa præbet. Anno 1707, contagio variolosa in insulâ grassata est, tantaque sæviit vehementiâ, ut 16,000 mortalium (si sit historiæ fides,) brevi tempore misere e vivis eriperit; qui numerus quartam ferè partem incolarum constituit. Annis recentioribus etiam, præsertim 1786 et 1787, cladem magnam idem morbus effecit. Paucis abhinc annis vaccinæ inoculatio in Islandiam ex Dania introducta est; ex numero autem incolarum tam parvo, et eorum per vastas oras dispersione, materia vaccinæ cito extincta est, et nulla quidem,

cum Islandiam advenimus, jam in insula remansit. Hac re præcogitata, paucas crustas ex Scotia nobiscum detulimus; et oppido Reykiaviano, ut primum fieri potuit, quosdam infantes successu felici inoculavimus. Nobis audire gratum fuit, antequam ex insula discessimus, crustas vaccinæ omnibus Islandiæ partibus jampridem advectas esse. Hoc inoculandi modo nunc vulgato, nova variolæ contagio incolis minimè timenda est.

Rubeola etiam, periculosa formâ sese ostendens, et frequentissimè pulmonum affectionibus gravibus conjuncta, variis temporibus Islandos afflixit. Anno 1797, circiter 600 mortalium hoc morbo perierunt.

Hîc quidem annotandam censeo epidemicam illam pestem, quæ ineunte seculo 15mo in Islandia grassatus est, et quæ per duos annos fuit adeo lethifera, ut hoc tempore elapso vix tertia pars incolarum in vita su-

perfuit. De hoc morbo contagioso, (*Suartar Daudi* vel *atra mors* nuncupato) sequentia in libro jam dicto narrat Johannæus Episcopus Skalholtensis.

“ Anno 1402, atrox pestilentia Islandiam
“ pervagari cœpit, qua multi mortales ita
“ subito extincti sunt, ut quidam dicto citius
“ perirent; puerique, adulti, et senes, in-
“ differenter animam efflarent: tantusque
“ fuit contagionis furor, ut sæpe ex 12 vel 15
“ qui unum mortuum sepultum ibant, vix duo
“ aut tres domum incolumes redirent. Quod
“ primo statim autumnno partem australem ad
“ solitudinem redegit, ita ut sub initium novi
“ anni, Skalholti, præter Præsulem et duos
“ laicos, superstes nemo esset.” . . . “ Anno
“ 1403, lues in occidentalem et orientalem
“ quadrantes non minus furiose grassabatur,
“ omnesque Abbates, Canonicos, Clericos,
“ Primates, et utriusque sexus melioris notæ
“ plurimos misere sustulit.” . . . “ Anno 1404

“ pestis hæc maxime quidem partem borea-
“ lem vastavit ; Skalholtum tamen non om-
“ nino reliquerat ; nam hoc anno sedem
“ episcopalem ita denuo vexavit, ut episco-
“ pus cum binis tantum sacerdotibus super-
“ esset ; sed in universa diœcesi vix 50 resi-
“ dui presbyteri numerarentur.”*

De causis et natura hujus pestis horrendæ scriptores Islandici nil certi præbent. Eandem tamen fuisse epidemiam, quæ seculo 14mo omnes fere regiones Europæ septentrionales pervasit, verisimillimum videtur ; et ut narrant quædam documenta, morbus ex Anglia in Islandiam directò adlatus est, Hæc insolita clades insulam ita afflixit, ut nunquam posthac res pristinas secundas recuperare potuerit.

Affectiones viscerum inflammatoriæ in

* Hist. Eccles. Island. Tom. II. p. 135.

Islandia frequentissimæ sunt. Tempestatis vicissitudines, et incolarum occupationes, præsertim mensibus Martii, Aprilis, et Maii piscatura, affectiones pulmonales communes reddunt. Ex tabulis statisticis, a sacerdotibus cujusvis parochiæ constructis, et Episcopo Islandiæ quotannis transmissis, magnam partem obituum in insula occurrentium, ex hac causa ortam invenio. Ii his morbis, et præsertim Phthisi Pulmonali affecti, Lichene Islandico cum lacte cocto ferè semper utuntur; et sæpenumerò, ut mihi narratum fuit, non sine symptomatum sublevatione notabili. Hoc medicamentum majore famâ inter Islandos potitur, quam alibi medicorum experientiæ constat.

Viscerum abdominalium inflammationes et obstructions sæpe etiam incolis accidunt; quarum præcipua causa sine dubio habenda est, victus Islandorum ex carne, pisce, et lacte coagulato, cum minima alimenti vegeta-

bilis quantitate, ferè omninò confectus. Causam etiam Landphysicus Islandiæ narrat neglectam meconii evacuationem, unde, cum nimio usu lactis vaccini in infantibus nutriendis, debilissimæ digestionis officinæ ad obstructions necessariò disponuntur. Mater Islandica perrarò infantem proprio suo lacte nutrit: mos est autem spongiam vel linteolum lacte vaccino madefactam ori ejus indere, et hoc modo nutrimentum præbere. Cum ex adversis rebus vel lac deest, vicem præstat carnis vel piscis particula, linteolo inclusa, et infanti ad sugendum commissa. Hæc diæta noxia ad morbos intestinorum certè disponit.

Emansio et Suppressio Mensium ex natura cœli, et fortasse etiam cibi, fœminis Islandicis persæpe occurrunt.

Affectiones Rheumaticæ ex mutationibus cœli, et occupationibus populi, præsertim ex

ea laboriosissima piscaturâ orientes, Islandos sæpissime invadunt. Podagram aliquando etiam occurrere audivi; sed nullum hujus morbi exemplum ipse in regione vidi, et fortasse suspicandum est, affectionem ita dictam haud procul a Rheumatismo distare. De hac re autem, nil certi habeo.

Hypochondriasim inter Islandos frequentem esse haud mirum videbitur, quum vitæ conditionem, alimenti naturam, et præ omnibus longam per hiemem corporis incarcerationem, in memoriâ teneamus. Temperamentum hujus populi haud tamen melancholicum est; nam inter eos ingenii alacritas externis vitæ miseriis persæpe et fortiter opponit.

Vermes, plerumque Ascarides, sæpissime occurrunt; cujus morbi prava incolarum diæta maxima sine dubio habenda est causa.

Omniū fere morborum, de quibus adhuc

locutus sum, et præterea Menorrhagiæ, Hysteriæ, Epilepsiæ, Asthmatis, &c. ipse in Islandiâ exempla vidi. Non tamen febris idiopathicæ, vel Intermittentis vel Continuæ, exemplum, etsi valde optatum, mihi observare contigit. Febres Intermittentes, benè definitas, in regione existere, ex aliorum auctoritate teneo. Harum febrium causa satis apparet in paludibus immensis, quæ per insulam passim sparsæ sunt: sed de typo communi, et aliis morbo propriis, minimè certior factus sum.

Reliquum est, ut de morbo, Islandicè *Ginklofe* nuncupato, pauca dicamus. Hic morbus, qui scriptoribus nosologicis, Tetanus seu Trismus Neonatorum vocatur, rarò sanè Islandiâ ipsâ apparet; insulas autem adjacentes, *Westmanna Eyar* dictas, præcipuè infestat; et ibi effectus miserabiles et calamitosos edit. Hæ insulæ, orâ meridionali sitæ, rupes altas, præruptas, et nudas, oculis tantùm præ-

bent. Unica quidem earum habitata ad centum et sexaginta incolarum hoc tempore continet: numerus reverà ab illo seculorum priorum valdè imminutus. Procellæ et rupes insulam per totum ferè annum inaccessam reddunt; et incolarum alimentum, aliis rebus deficientibus, ex ovis et carne avium marinarum (præsertim Procellariæ Glacialis, et Alcæ Arcticæ Linnæi) magnâ ex parte constat. Piscibus tempore pristino plurimùm usi sunt; sed post eruptiones volcanicas horrendas, quæ anno 1783 juxta promontorium, Cap-Reikianes dictum, et inter montes Skaptaa Jokul accidere, piscatura in his oris aliquatenus defecit; et hoc tempore etiam ad statum priorem nequaquam est restituta. Nul- lum alimentum vegetabile insulares habent; et omnis eorum vitæ conditio infausta est et miserrima.

Per æstatem anni proximè elapsi iter ad has insulas Landphysicus Islandiæ ex officio

fecit, ut hujus morbi causas et naturam ipse oculis investigaret. Non tamen illi contigit exemplum morbi videre, etiamsi hoc proposito tres quatuorve hebdomadas in insulis commoratus est. Post reditum ejus ad Reikiavikam, sequentem mali historiam, ab obstetricibus, parentibus, et sacerdotibus insularibus partam, mihi communicavit.

Signa morbi hæc sunt præcipua; paulò post partum in infante observantur strabismus, volubilitas oculorum, et subsultus tendinum: muscoli etiam dorsales, ex spasmò incipite, plerumque crispantur et rigent. Hæc symptomata morbi eventum semper denotant. Paucis plerumque diebus lapsis, usque ad septimum post partum diem, oboriuntur symptomata vel Opisthotoni cum Trismo conjuncti, quod Islandicè *Ginklofe* strictè vocatur; vel Emprosthotoni, quod linguâ terræ *Klums* plerumque nuncupatur. Cito pede nunc progreditur malum: constrictio faucium

deglutitionem omnino impedit:—paroxysmi violentiores fiunt—et infans miserabilis brevi tempore animam efflat.

Eventum felicem (rem sanè rarò occurrentem) portendunt ferè diarrhœa cum dejectione meconii, vel eruptio exanthematica, comitante simul hâc evacuatione. Post devictum ipsum morbum infirma valetudo et debilitas corporis diu permanent.

Dies vitales tabula quæ sequitur indicabit; quæ periodum 25 annorum includit.

<i>Infantes.</i>	<i>Dies.</i>
1 . . . vixerunt . . .	2
3	3
14	4
16	5
22	6
75	7
16	8

<i>Infantes.</i>	<i>Dies.</i>
18 . . . vixerunt . . .	9
10	10
2	11
1	12
1	13
5	14
1	21

Ex hac tabula septimus et decimus quartus morbi dies critici recenseri possunt. De exemplis felicis eventûs nihil certi scio; verum ex numero infantum annis viginti quinque pereuntium, rara et perpauca esse certè concludere fas est. Hâc ex causâ, insulæ sine dubio citò depopulatæ essent, nisi aliqui e terrâ Islandiæ continente migrantes subinde advenirent.

Causæ hujus morbi notabilis nequaquam adhuc indagatæ sunt. Ad hanc rem investigandam, de morbo simili, in aliis locis climati-

busque occurrente, aliquid inquirere necessarium duxi. Tetanicam neonatorum affectionem variis regionibus obvenire, ex medicorum scriptis benè quidem notum. Hujusmodi morbum insulis Balearibus existentem describit accuratissimus Cleghorn * : similem affectionem majori etiam gradu Indiis Occidentalibus infantibus accidere docent Hillary†, Chisholm‡, et Clarke§. Malum etiam inter montes Helveticos adest ||; et sæpe in regionibus Scotiæ montanis occurrere refert noster celeberrimus Cullenus ¶. Insulâ St Kilda hunc morbum maxime frequentem esse audivi; ubi incolæ, quoad diætam et modos

* Cleghorn's Diseases of Minorca. Introd. p. 73.

† Observations on the Diseases of Barbadoes, p. 240.

‡ Essay on the Malignant Fever of the West Indian Islands.

§ Treatise on the Yellow Fever, &c.

|| Act. Helvet. T. I. p. 65.

¶ Cullen's First Lines, 1281.

vivendi, ex illis Vestmanneyenses insulas habitantibus non magnopere distant.

De causis morbi sub cœlis tam variis existentis, plurimæ et admodum diversæ opiniones invaluerunt. Nonnulli putant cœlum humidum, nebulosum, aeraque marinum præcipuè esse in causâ : quibus tamen assentire nequeo ; nam in plurimis aliis regionibus humidis, similiterque sitis, non ita afflicantur infantes. Causas prædisponentes vel occasionales alii annumerant neglectam meconii evacuationem, diætam infantum pravam, et etiam matris modum vitæ et victum. Trismum nascentium, insulis Vestmanneyensibus occurrentem, ex his causis maximè ortum esse, profectò verisimile mihi videtur. Mos est insularis, infantes, confestim post partum, largè e lacte vaccino pingui nutrire ; et fortasse nemo est, qui non facillè agnoscat hoc alimentum, unà cum meconio retento, irritamento inordinato esse corpori jam debili, et

proclivitatem ad motus spasmodicos præbere posse. Porro quamvis de effectibus in proli constitutionem, ex constitutione parentum derivatis, adhuc imperfecta est notitia, hanc tamen causam prætermittendam esse minimè puto ; præsertim cùm Vestmanneyarum diæta omnisque vitæ conditio adeo singulares sunt ; et quod plurimum huic rei refert, quoniam morbus, post defectam apud has oras piscaturam, multò frequentior insulis evasit. Non tamen est dissimulandum Chisholm, et alios auctores, malum Indiis Occidentalibus occurrens causæ longè diversæ attribuisse ; scilicet frequenti inter obstetrices nigras consuetudini, funem umbilicalem rubiginoso instrumento secandi ; unde oritur irritatio, quæ affectiones spasmodicas, et plerumque mortem inducit.

Antequam huic dissertationi finem imponam, pauca de diuturnitate vitæ inter Islandos breviter narrabo. Ex tabulis quibusdam, quæ mihi in manum venerunt, (ad annum

1801 pertinentibus, quum census incolarum 47,207 dedit) invenio 41 fuisse homines inter annum ætatis 90^m et 100^m :—443 inter 80^m et 90^m :—1698 inter 70^m et 80^m :—et 3004 inter 60^m et 70^m. Ex toto incolarum numero, fœminarum erant 25,371 : alterius sexûs tantummodo 21,476. Longevitate etiam fœminæ viris insigniter præstant ; nam ex 41 personis inter annum ætatis 90^m et 100^m 35 fœminæ ; ex illis inter annum 80^m et 90^m, 285 fœminæ, 158 tantum viri fuere. Mares intempestatibus cœli, et laboribus vitæ magis esse expositos, causam hujus rei verisimilem puto.

FINIS.

